

L U C R E T I A N A

Quicumque litterarum latinarum peritus Lucretium saepe lecitat, malo carminis *De Rerum Natura* textu ad multas emendationes perduci potest; metri necessitate poeta ipse crebro a sermonis patrii norma desistere coactus est; imprimis autem egestate vocabulorum aptorum in angustias pervenit, quare notiones graecas Epicuri aliorumque philosophorum latine reddere operosissimum erat; quo factum est ut Lucretius poeta omnibus verborum formis et sententiarum structuris uteretur, quae in usu auctorum Romanorum vetustissimorum erant; hoc modo Lucretii poemata multis proprietatibus et difficultatibus priscae linguae latinae referta magnamque partem Ennii genere dicendi formata sunt; valde enim arduum fuit proprie philosophiae Epicureae doctrinam versibus latinis reddere ac per vulgare, cuius rei conamen prius nondum factum est; accedit quod notitia ex Hieronymi Chronicis non pauci humanistae ad opus Lucretii poliendum commovebantur; nam Cicero ipse illius carmen postumum edidisse dicitur, nec veri dissimile videtur esse oratorem tam gloriosum poetaeque amicum nonnulla in ordinem redegisse, unde tot vitia erroresque carminis a codicu librariis commissos viri docti, qui litteris antiquitatis liberalibus ardenter favebant, secundum leges grammaticae Ciceronianae et quasi Atticissantis removere temptarunt; ita Lucretii libri sex tantopere per duo paene annorum milia depravati etiam atque etiam humanistarum studiis deformati sunt; qua de causa officium editorum textus Lucretiani est primariam formam operis poetici recuperare; nec non ad regulas poeta-

rum Graecorum Hellenisticorum illud carmen philosophicum redigendum est utpote qui vates ille infelix praematuraque morte abruptus auctores Graecos assidue usurpaverit; codicum autem scribae non jam formarum priscarum neque regularum ex Graecis exemplaribus susceptarum periti erant. Aliquando equidem ipse opinatus sum maxime codicis Quadrati, qui reliquis omnibus manuscriptis ad meum arbitrium praestat, aliquot lectiones ad textum Lucretii redintegrandum suscipi oportere; postea vero intellexi hac ratione emendandi non tam saepe nec tam feliciter fieri, ut originaria forma Lucretii verborum restitueretur; nam textus hujus poetae cumprimis propter metrum dactylicum mutatus et mutilatus est; cuius quidem vitia ad unum codicem Q solum reduci minime licebat; hoc pacto denique demonstratum est non a codice Q neque unico neque majorem partem emendationem Lucretii procedere posse; omnino certe magnum periculum laboriosumque est propter malos codices et propter insolitam elocutionem Lucretii carmen corriger; itaque illius poetae opus perpetuum propositum examinis diligentissimi philologorum manebit; unde igitur restat, ut Lucretius quoque primo verbis singulis recte intellectis, deinceps sensu communi liberaliter loquendi corrigitur; neque vero justum est sola auctoritate codicum quorundam nisum verba vatis proprii ingenii aliquo modo mutare; ne ullo quidem momento temporis lector a suo judicio abstinere debet; communia lexica latina non sufficiunt ad Lucretium plane interpretandum; felicissime accedit quod multa vocabularia latina et similia auxilia grammaticae latinae studio Lucretii commodo sunt; hic poeta est auctor tam difficilis, ut sine commentario penitus intellegi non possit; necesse est etiam explanationem linguisticam propter priscam latinitatem hujus scriptoris componere; ultiro scientia litterarum Graecarum opus est ob numerosas res philosophiae Graecae in carmine obvias; paene opportune evenit, ut codicum lectiones Lucretii editionibus modernis (Bailey, Diels, Ernout, Martin) exhibitae non satis sufficienter indicentur; qua re quilibet lector hujus auctoris cogitur sua sponte de intellectu cujusvis loci poetae cogitare, de veritate verborum judicare illaque, quotiescumque necessarium

erit, variis lexicis adhibitis emendare; diuturna enim consuetudo lectitandi et voces observandi ad Lucretii carmen corrigendum postulatur; menda textus Lucretii numerosa quoniam per haplographiam scribendi evaserunt, etiam eadem haplographiae ratione necessario emendantur neque aliorum philologorum priorum conjecturae ibidem respici debent; paginis postremo sequentibus libros versusque Lucretii eos tantum ostendam, ubi meas ipse emendationes proprias adhibui.

LIBER PRIMUS

1, 6 te, dea, *defugiunt* venti, te...

verbum «*defugiunt*» scribi oportet, ne pronomen «te» nimis adhibeatur: praeterea poeta syllabis varie sonantibus (dea = brevi littera E, *defugiunt* = longa E) consilio usus est; ita sonore et sensu claro potentia Veneris contra vires naturae bene ostenditur; nam venti et nubila caeli de via adventus Veneris reverentes devertunt: cf. Lucr., 3, 9 «tu, pater, es..., tu patria...».

1, 10, *jam* simulac species patefactast...

primis versibus hujus prooemii singula signa naturae primo vere resurgentis ad Venerem salutandam enumerantur; propterea 1, 10 "jam" = «etiam, porro» ponendum: «nam» falso scriptum rejectaneum est.

1, 50-51 quod superest, *rebus* vacuas auris animumque semotum a curis...

structura hujus sententiae versu 51 formatur; ut enim «semotum a curis» dicitur, ita «vacuas» cum ablativo conjungendum est, qui voce "rebus" suppletur; ad rem cf. Cicero De Legibus 1, 3, 8, «utrumque opus est: et cura vacare et negotio» (=rebus).

1, 67 ...*obsistere coram*

«coram» in extremo versiculo ponendum est, quia Epicurus coram civibus deos aggredi ausus est; duo quidem mundi his versibus 66 et 67 distinguuntur: mundus *caelestis*, ubi dei habitant, contra quos ille philosophus se erexit; mundus *terrestris*, ubi homines creduli fideliter deos colunt, quam fidem Epicurus impugnavit; hi denique ambo mundi etiam duabus conjunctionibus («contra» et «coram») discernuntur; cf., 1, 109 «minis obsistere vatum».

1, 104 ...*multa tibimet fingere*

«tibimet» scribere praesta quod meliore codice Q «me» traditur, quae vox ad «met» (=tibimet) suppleri debet: littera «t» per haplographiam

ante «fingere» (f) omissa est; «tibimet» ad «tutemet» (1, 102) revocatur; persona Memmii maxime respicitur, quapropter syllaba «—met» (102 et 104) additur.

1, 161 *ec mare... ec terra...*

«ec» idem est atque «e» vel «ex»: persaepe codex Q adhibet scriptionem priscam «:c» ut veri simillimum esse putemus etiam Lucretium "ec" (formam Graecam) posuisse; poetae exempla suo quaque loco proferam (cf. R. Kuehner: Lateinische Grammatik 1, 930; cf. Cicero De Legibus 3, 3, 9: ec se, 3, 9, 22 ecfero; cf. Stoltz-Schmalz: Latein. Grammatik (5. edit. Muenchen, 1928), 165, ubi Ennius («ecfari») et Plautus («ecferet») laudantur.

1, 175 ...Autummo fundi *vadente* videmus

autumnus ut deus repraesentatur, qui per spatium sui temporis vadit, quo tempore vites permaturescunt: cf. 5, 743 Autumnus adit.

1, 264... nisi morte *adjuncta* aliena

mors alterius rei vel hominis accessisse debet, ut nova res dignatur; per haplographiam litterae «nc» post «ju» interierunt.

1, 293... *vertice tuto...*

cum vertex natura tortus sit —quemadmodum circulus natura rotundus— forma «torto» falsa est; codex Q tradidit «toto» quod nihil nisi "tuto" est; nam venti certa et tuta manu res corripiunt et auferunt.

1, 352 *qua*, cibus in *totis* usque ab radicibus imis...

«in totis» scribendum est pertinens ad illud «arbusta» (1, 351); in totis igitur arbustis vel arboribus, son solum in partibus arborum cibus diffunditur; scriba quidam accusativum «totas» posuit et ex «arbustis» (1, 351) arbores sumpsit; sed saepius accusativi forma falso pro dativo vel ablativo adhibita est. «usque» significat «semper».

1, 366 *ast contra...*

forma prisca «ast» pro «aut» locanda est, praesertim cum littera «u» ex duabus litteris «ss» oriri potuerit.

1, 404... *montivagae persaepe ferae ore...*

lectio mutila codicis Q «ferare» facile dicit ad formam rectam «ferae ore»; canes ferae ore propter saevum quoque adspectum vocantur; cf. 3, 58 mala ore (pro illo falso «manare»).

1, 412... *e fontibus almis...*

fontes *almi* propter abundantes aquas dicuntur; lectio codicis Q «amnes» nihil aliud nisi «almis» (=almis) olim fuit, cf. 2, 390 liquor almus aquarum.

1, 469 namque *alid* aeternis, aliud regionibus ipsis...

hoc loco de duabus categoriis temporis et loci agitur: eventa ad temporis vel ad loci nomen significantur, ut exempla afferam: bellum triginta annorum (1618-1648) pertinet ad tempus; bellum Peloponnesiacum (431-404) (vel bellum Gallicum, 58-51) pertinet ad locum (vel ad regionem); tempus etiam «aevum» dicitur, pro quo nomine etiam «aeterna» (=aeterna) usurpari potest; qua de causa "aeternis" (pro falso «terris») scribatur oportet et metri causa "alid" pro «aliud».

1, 487 *videmur* credere...

«videmur» praestat scribere exemplis 4, 459. 614. 965. 5, 348 respectis.

1, 491... *fero fermenti saxa vapore...*

saxa diffinguntur ingenti vapore foris expresso. qui vapor tamquam fermentum valet; ergo «vapore fermenti fero» saxa dirumpuntur.

1, 593... *aliqua... ratione revecta...*

«revecta» significat «remota»; elementa enim loco carent et devehuntur; nihil est cur verbum «vincendi» adhibetur; eodem modo scribendum est 5, 409 «vires... revectae».

1, 657... *multa sibi cernunt contraria mundi...*

docti quidam homines cognoscunt multas *mundi* res contrarias esse atque eas, quas vident...

sub his viris doctis imprimis Heraclitus ipse intellegitur; codex Q tradidit litteras «mu» quas ad "mundi" complevi.

1, 662... *mittere partis...*

structura sententiae est haec: corpus, quod ab se nihil (=nullo modo) partes amittere possit...

«raptis» nihil aliud est nisi «partis»; litterae p et r falso positae sunt; «raptim» hoc loco sensu prorsus caret, quia nequaquam de celeritate amittendi agitur.

1, 666... *stingui mussare que...*

«mussare» per metaphoram significat idem ac «delere»; cf. Ernout-Meillet: Dictionn. etymol. de la langue latine 3. edit., Paris, 1952, p. 754.

1, 669... *et ec nihilo...*

«ec» post «et» per haplographiam periit.

1, 720 ...mare dividit *omnis...*

1, 721... oras...

«omnis... oras» = totam terram Italiae significat; nam «undis (pro quo summo iure «omnis» ponatur necesse est)» post «angusto fretu» maxime superfluum est, et stupidia repetitio voculae «undis» versus antecedentis (1, 719) recognoscitur esse.

1, 732... exponunt *percara* reperta...

codicum scriptio "praeclara" jure dubitari potest; neque enim ex gloria («praeclara») sententiarum, sed egregio earum valore («percara») Empedocles tamquam divinus habitus est; quoniam 1, 729 ille vir adjectivo «praeclarus» laudatus est, ejus «reperta» = sententiae Lucretio vivo vel placita summi existimata sunt; quapropter lectoribus illius temporis rei publicae Romanae percara fuerunt; error olim palaeographicus falso explicatione abbreviationis «per» et «prae» ortus est.

1, 744 aera, *sal*, ignem, terras...

«sal» unica emendatio falsae vocis «solem» haberi debet; postulatur enim elementum aquae quod etiam «sal» vocatur. «sal» = græce «hals» = mare; cf. Dionysius Periegeta, 352.

1, 758 ...*habessis*...

codicum forma «habes» partem residuam verbi «habessim» continet qua conjunctivus potentialis perfecti exprimitur; syllabam "sis" scriba quidam non jam intellexit et omisit; cf. Stolz-Schmalz: Lat. Grammatik, p. 344, 2; «habessim» in tabulis duodecim occurrit; cf. Cicero De Legibus 2, 8, 19.

1, 777 cum terra simul et *calidum*...

postulatur vox qua calor notatur; e mutilata forma «quodam» denique «calidum» recuperari potuit.

1, 780 *de emineat* nequid...

codicum lectio «demineat» in has duas partes «de» et «emineat» dissolvi debet; «dē» est adverbium priscum, quod idem ac «deorsum» significat; cf. 3, 860 deerrarunt.

1, 804... *ec* terra...

codices exhibent «et» quod falso scriptum nihil nisi «ec» valet; cf. 1, 161 ec terra.

1, 852... *Leti* sub dentibus...

vox «Leti» littera majuscula L reddenda est, quia figura personae Mortis indicatur.

1, 882... robore cum in *saxis* franguntur...

quamquam codices exhibent «in saxi», tamen «in saxis» ponendum est; nam saxa idem valent atque lapides, et inter duo saxa vel lapides frumentum teritur; littera s finalis «saxis» per haplographiam ante «f» (=franguntur) periiit.

1, 1058 ac quae pondera...

scriptio «ac» meliore codice Q qui «at» habet, commendatur; nam «ac» et «at» inter se facillime confunduntur; «ac» sensu postulatur.

1, 1073... alia longe ratione *locari*

contraria sunt: punctum medium in mundo et loca longe ab eo medio distantia; corpora autem ob eandem causam in medium mundum confluere atque alibi *locari* possunt.

1, 1082 res in concilium medii cuppedine vectae...

«vectae» scribi necesse est, quia res vehuntur in concilium; litterae «e» et «i» scribendo inter se confundi solent; metaphora vincendi longe ab hoc loco abest.

LIBER SECUNDUS

2, 12... praestante *pavore*...

codicibus Q (et O et G) «pavore» prius scriptum esse monstratur ex forma mutila «plabore»; etiam «pavor» significat «laborem», sed magis assiduum; alliteratione porro «praestante pavore» hoc nomen (pavore) rectum esse ostenditur.

2, 42 subsidiis magnis *Epiri* constabilitas...

solummodo vox "Epiri" sensum habet; Epirus enim auxilia ad exercitus Romanos mittere solebat; cf. Vegetius: Epitoma Rei Militaris 1. 28 (ed. C. Lang, Lipsiae, 1885) p. 29, 12. «Nonne Epiri armis plurimum aliquando valuerunt?»; cf. Manilius, 4, 690.

2, 43 ornatas armis *scafulas* mariterque animatas...

legiones describuntur auxiliis Epirotarum auctae (2, 42) et scafulis in aliam terram transmissae ac mariter (=viriliter et fortiter) animatae; cf. Vegetius: Epitoma Rei Militaris (ed. C. Lang, Lipsiae, 1885) p. 81, 5 et 165, 4: *scafulae*.

2, 52 nec *carum* vestis splendorem purpureai...

codices scribunt «clarum vestis splendorem»; sed omnis splendor natura clarus est, quam ab rem «clarum» hoc loco abundantanter attributum est:

potius desideratur epitheton magis significans, quo non color, sed pretium valorque «vestis purpureae» indicatur: ergo «carum» postulatur; ut in versu 4 1029 de «magnifico splendore» vestium Babylonicarum sermo est, quae permagni pretii sunt, ita hic in vs. 2, 52 quoque de pretio vestis purpureae agitur; praeterea verbum «reverentur» (2, 51) pertinet ad valorem vestis aestimandum; scriba tamen ad «splendorem» adjективum coloris generalem «clarum» adjungendum esse ratus, ut saepius in textu Lucretii adjektiva erronea adhibebat, ita hac occasione erravit ponendo injuria «clarum»; sed «carum» lectio est difficilior et recta; «carum» enim est per figuram hypallagae adjektivi ad illud «vestis» trahendum et a poeta symmetriae causa ad «splendorem» ita positum, ut ad utrumque nomen («splendorem "et" vestis») singulum adjективum adnecteretur; denique «carum» igitur recte 2, 52 se habet.

2, 85 aut ictu *fortei* alterius...

«fortei» scribenda est illa forma ablativi pertinentis ad «ictu»; nam quia «aut (84)-aut (85)» non concedit adverbium «forte» (=fortasse); alternatione enim illa («aut-aut») excluditur possibilitas aliqua tertia.

2, 85... nam *quam* cita saepe...

«quam» et «saepe» ut una conjunctio accipienda est, quae idem atque «quotiescumque» significat; cf. Stoltz-Schmalz: Lateinische Gram., p. 739.

2, 114 contemplator enim *tum*...

«tum» scribendum est pro codicum voce «cum»; nam sententia conjunctione «cumque» incipitur, subiectum est «radii» (2, 115), objectum est «solis lumina» (2, 114); sufficit autem «cumque» quae forma similis est illi «quandoque» (=graece «epeite»); restat igitur ut «tum» ponatur; facile enim litterae c et t inter se confunduntur.

2, 137 ipsaque *tum* porro...

«tum» inserui, ut enumerationem post «inde» (2, 134) clarius indicarem; cf. 6, 623.

2, 159 ...suis e partibus *unis*...

«unis» ponitur pro «solis».

2, 184 Hinc locus est...

jam versus 2, 183 adverbio temporali «nunc» incepitus est; prouterea in sequenti versu 2, 184 non idem adverbium stare potest; veri simillimum est «hinc» (2, 184) scriptum esse, quae vocula facile cum temporali adverbio «nunc» ob similes litteras confunditur (HINC = NUNC).

2, 210 sol etiam *mundi* de vertice...

in codicibus excidit illud genitivi nomen, quod ablativo «vertice» regitur;

secundum principium haplographiae vox «mundi» inserenda est quae hoc modo videtur omissa esse: post voculae «etiam» litteram finalem M initialis M («mundi») periiit; praeterea UN (mundi) propter similitudinem quandam cum littera M et DI propter aequam figuram litterarum sequentium DE evanuerunt; reliquum igitur est ut «etiam mundi de vertice» scribatur; Ciceronis illud «caeli de vertice» (Aratea, 297) nihil commune cum Lucretii loco 2, 210 habet; cf. Lucretius 2, 328 sidera mundi.

2, 250 declinare quis est qui possit cernere, sensim?

ad verbum «declinare» trahendum est «sensim», quod adverbium injuria scribae in «sese» depravaverunt.

2, 252 et vetere exoritur rursus novus...

agitur de *motu*; rectius erit in versu 2, 251 scribere «motus», quia non jam oportebit hoc nomen repetere; ita fit, ut 2, 252 legatur: «exoritur rursus novus (scl. motus)»; illud «rurus» per haplographiam post «-ur» (exoritur) excidit.

2, 305 ex omni quicquam est rerum...

ad illud «omni» supplendum est «rerum»; nam «omne» est substantive usurpatum pro voce «mundus»; ita optime lacuna codicum genitivo «rerum» addito corrigitur.

2, 421... *fracidi* turpesque...

post «foeda specie» male ac perperam «foedi» codice Q repetitur; optimi autem codices solum ultimam partem adjectivi «-di» desinentis exhibent, cuius prior pars propter ignotam formam omissa est; scribendum est «*fracidi*», quae vox ad «fraces» pertinet; ad «fraces» cf. *Cato De Agricultura* 64 «oleum... in... fracibus... *deterrium*»; cf. alliterationem «foe-et» «fra-».

2, 422 ...quae mulcet cumque *hominis*, res...

omnis res quae sensus hominis mulcet...
ita sententia construi debet.

2, 428... *prostantibus* usque...

«usque» est particula conjunctiva eodem effectu ornata atque "usque dum", cf. Stoltz-Schmalz: Lat. Grammatik, p. 779, 3; «usque» omissum est per haplographiam post syllabam «-bus».

2, 434 tactus enim *factus*...

tactus... *factus*... est sensus corporis...
ita intellectus sententiae accipi debet (factus = vollzogen, fertig).

2, 468... *necessum...*

in voce «necessum» littera «m» finalis per haplographiam cursim oblivione transita est.

2, 512 ...*non sunt, at rebus...*

particula adversativa codicibus omissa «at» a me inserta est, quae per haplographiam post «sunt» periit; nam -nt et at (N T et A T) simillime scribuntur; cf. 2, 1017.

2, 521 ...*rigidis incessa pruinis.*

pro codicum forma inepta «infessa» solum «incessa» ponendum est, quod a verbo «incedere» = «aggrexi» derivatur forma passiva (incessa = angegriffen); litterae f et c facile inter se mutantur.

2, 535 *multa...esse... numerosque repleri...*

quoniam antecessit illud «multa», etiam plurale "numeros" postulatur, quo multitudo indicatur; jam codex Q "numeros" scripsit, quae forma est accusativus Graecus in syllabam -ous desinens quo fine etiam lingua prisa latina utebatur.

2, 547 ...*sumantor uti...*

ita legi debet pro falsa codicum scriptione «sumant oculi»; etenim «sumantor» est imperativus praesentis passivi cuius subiectum est «corpora» (2, 548); jam supra (2, 541) «esto» imperativus praesentis activi adhibitus est; porro «uti» est attractio relativa pro demonstrativo adverbio «ita».

2, 625 *munificat...multa...*

in eodem versu simul scribere «tacita» et «muta» certe non licet; immo «multa» in textu locari et ad verbum "munificat" sensu adverbiali (=abundanter) trahi necesse est: dea multa munificat = multa munificentia fungitur.

2, 670... *quae sunt poro distantia longe...*

illud «poro» a voce Graeca «poros» ($\pi\hat{\omega}\rho\circ\zeta$) derivatum hoc loco significat «callum». id est «duritiae»; scriba tamen codicis non jam «poro» intellexit, sed pariter atque «porro» (2, 668 et 2' 672) posuit.

2, 673 *si nihil est praeter, tamen...*

codex Q exhibet recte hanc scripturam: «si nihil est praeter, tamen...» nam «praeter» etiam absolute usurpari potest (cf. Stoltz-Schmalz: Lat. Grammatik pp. 516-517).

2, 675 ...*ac laete differre...*

codex Q scripsit «lete» id quod «laete» et «abundanter» significat, cf. Vergilius: Georgica 3, 310.

2, 767... canos cudenti *ut* marmore fluctus.

ex scriptione nonnullorum codicum «cudent in» restitui illud «cudenti ut marmore», quod comparationem et similitudinem inter «canos» et «cudenti» exprimit.

2, 779 ...unaque *figurans*...

forma codicum «figuras» nihil aliud est nisi participium "*figurans*", quod significat «figuram formans».

2, 828 evanescere...

codex Q scribit «etvanescere» quod stat pro «evanescere».

2, 854 propter eandem *vim*...

«vim» supplevi ut eadem vox (rem — rerum) in eodem versiculo vitaretur; «vis» idem fere est atque «causa»; «rem» falso addidit Lachmann.

2, 893 ...ectemplo...

codex Q habet «ettemplo», quod nihil est nisi «ectemplo».

2, 918 atque animalibus *ut* mortalibus...

necesse est ad lectionem codicum redire, qui exhibent «animalibus»; haec animalia certe mortalia sunt; ergo scribendum est «animalibus *ut* mortalibus»; particulā autem «ut» ratio aequalitatis inter animalia et mortalia indicatur.

2, 1015 ...mare terras *flamina*...

«flamina» scribi necesse est propterea quod omnia elementa naturae hic enumerantur, inter quae «mare» ipsum indicat elementum aquae; itaque no jam altera voce «flumina» opus est ad aquam significandam; cum vero vox «aëris» elementi desit, illud «flamina» adhibendum est, quo «aër» exprimitur eodem modo atque in 1. 820, ubi idem vocabulum «flamina» postulatur.

2, 1034 ex improviso *simul atque* objecta repente...

ita clare inter se conectuntur adverbia «ex improviso» et «repente» hac formula «simul atque» copulativa sicut 4. 40.

2, 1049 ...ex utroque *super supterque* per omne...

haec conjunctio duarum viarum contrariarum facile fieri potest altero adverbio «supter» codicum haplographiā omissō.

2, 1061... coluerunt... *conlecta*...

illud «conlecta» in textu statuatur oportet, postquam in eodem versu 2.

1061 brevi antecessit «coluerunt» (=coaluerunt), quod verbum optime voce «conlecta» repetitur.

2, 1071 *ecnumerare...*

codex Q habet «etnumerare» eodem sensu usurpatum atque «ecnumerare».

2, 1081 *invénis sic...*

«invénis» est conjunctivus perfecti et modus potentialis (cf. «faxim, faxis»; et «habessis» Lucr. 1, 758). Cf. Stolz-Schmalz: Lat. Grammatik p. 343. R. Kuehner : Ausführliche Lat. Grammatik 1. 793.

2, 1082 *sic hominum omnigenam prolem...*

quoniam codicum lectio «geminam» sensu prorsus caret et Marulli conjectura «genitam» nimis simplex cognoscitur, nihil restat nisi ut vox unice vera in versum recipiatur «omnigenam», quae perbene ad «prolem» quadrat; codicum deinde error ingens ita evolvi potest: primo recte scriptum est «hominum omnigenam»; deinde per haplographiam «om» post «-um» periit et «nigenam» remansit, quae postea nullo modo intellecta in formam «geminam» mutata est, ut falso «hominum geminam» scriberetur pro recto vocabulo "omnigenam" (=eiusvis generis); cf. Lucr. 5, 440. Vergilius Aen. 8. 698. Gellius, 14, 6, 1.

2, 1089 *quam genus omne quot his generatim rebus abundant.*

«quot» est plurale relatum ad «genus omne», id quod «omnia genera» metri causa repräsentat.

2, 1114 *umor ab umored...*

codicem omnibus meliorem Q secutus ita textum formavi, ut ablativum «umored» priscae latinitatis fine ornatum ponerem; cf. R. Kuehner: Ausf. Lat. Grammatik, 1, 285.

2, 1163 ...*labores.*

codices omnes «labore» exhibent id quod in «labores» pluralem supplexatur oportet propter versum 2, 1165 «labores» et propter verbum «augentque» (2, 1163); nam ubi «augent» dicitur, ibi multitudo laborum ostenditur.

2, 1168 ...*vitis sator atque vacivae...*

«vacivus» significat idem ac «vacuus», in versu 2, 1168 codices «fatigat» pro «vacivae» scripserunt, quia scriba non jam priscam formam «vacivus» cognovit: itaque «fatigat» ex sequenti versu extremo (2, 1169) imprudenter repetivit et rectum illud «vacivae» delevit.

2, 1169 Temporis incusat *numen*...

hoc in versu deus «Tempus» vituperatur, quod laboribus agricolae non favit.

in eodem versu idem «tempus» *numen* nominatur id est deus; codices «nomen» habent, quod antiquis temporibus «noumen» scribebatur pariter pro «numine» ac pro «nomine», quorum veritas solum e verborum serie dijudicari potest; inter se opponuntur Tempus et saeclum, id est Chronos (deus) et homines (mortales); ergo «numen» hic rectissimum stat.

LIBER TERTIUS

3, 12 ...aurea dicta

3, 13 laurea...

in versu 12 recte «aurea dicta» legitur;

sed in primo versu 13 «laurea» ponendum est, quia non figura anadi poseos adest; apud Plinium Nat. Hist. 7. 30, 117 legitur de Cicerone «primus... linguaeque lauream merite».

3, 45 ...magis omnia laudis

3, 47 jactari in causam...

quia codex Q «causam» offert, ad hanc scriptio[n]em etiam «in» praefigere malim: «jactari in causam»; cf. Th. 1. 1. «causa» pg. 670, 68: in causam, a voce «causam» pendet «laudis» (3, 45).

3, 58... et eripitur persona mala ore.

persona de facie hominis eripitur; solum de mala persona agitur; «mala» idem ac «falsa» significat, ut e contrario «verae voces» (3, 57) patet; pro «facie» poeta «ore» adhibuit; verae voces ex *interno corpore* (= pectora) efferuntur, mala (= falsa) persona in *externo ore* affigitur et inde eripitur; apud Lucretium saepius vox «ore» in extremo versu reperitur: 1. 37. 2, 399. 4, 548. 564. 5, 1379; codicum scribae «mala ore» in «malare», deinceps in «manare» sine intellectu mutaverunt.

3, 84 ...evertere suaded

codices scribunt «suadet» quod non recte scriptum est neque hoc modo intelligitur; immo «suaded» exarandum est, quod ita explicari potest: «suad» est forma prisca ablativi pronominis «sua», quae forma idem ac «sic» valet; pro «suad» etiam longior forma «suade» vel «suaded» scribi potest; licet suspicari primo poetam «suade» posuisse, d[icitur]inde a scriba quodam «suadet» falso pictum esse. Festus commemorat hanc voculam oriundam ex

priscis libris auguralibus. cf. R. Kuehner: *Ausf. Grammatik d. lat. Sprache* 1, 583. cf. Stoltz-Schmalz: *Lat. Grammatik*, pp. 274. 284.

3, 106 ...aegrit...

primo codices habuerunt «aegrit»; majuscule scriptum AEGRIT in «aebru» (=IT = U) mutatum et in «aegrum», pertinens ad «corpus», falso suppletum est; in versu 3, 824 recte «aegrit» legitur. Macrobius vel ejus scriba indiligerter «aegret» posuit.

3, 172 ...terraeque petitus

3, 173 *salvus*...

primo videtur scriptum esse: SALUUS, quod in SAIUUS corruptum est et postremo litteris mutatis SUAUIS evasit.

«salvus» hoc loco majoris momenti est quam «suavis».

3, 218 *ec* toto...

codex Q exhibet «et toto» quod palaeographice idem est atque «ec toto».

3, 239 ...mens posse creare,

3, 240 sensiferos motus quae *tam vemente* volutat.

hic locus valde mutilatus est (3, 240), ubi sententia ita ordinanda est: (mens), quae tam *vehementer* (= *vemente*) motus sensiferos volutat. «quae tam» codicum scribae falso in «quaedam» corruerunt; «vemente» in «que mente» deformaverunt.

«*vemente*» autem est contractum ex «*vehemente*» et haec forma «*vemente*» more adverbii desinens in fine e (pro -i).

3, 321 (vestigia...) quae nequeat ratio depellere *momis*...

in codicibus legitur «noctis» quae vox hoc loco nihil significat; vestigia autem quae ex natura hominis amoveri nequeunt, sunt *vitia*, quae opprobrio quidem verti possunt, tamen concedunt ut homo vitam deis dignam agat; *vitia* autem ut opprobria *momis* vituperantur; et "momus" est vox Graeca apta ad *vitia* indicanda (sensus est hic: vestigia tam parva sunt, quorum opprobria (vel momos) ratio extingueret nequit).

EMIL ORTH.